DE VRBIS FLORENTIAE AC MEDICEAE FAMILIAE NOBILITATE.

FRANCISCI NOVELLI ROMANI IVRISCONSVLTI COMMENTARIVS.

DENVO IMPRESSVS.

ROMAE.
Apud Carolum Vuillettum.
MDCIII.

ILLVSTRISS^mo. AC REVER^mo.

ALEXANDRO

MEDICI S.R.E. EPISCOPO CARD.

AMPLISSIMO.

FRANCISCVS SERDONATIVS. S.P.D.

ALBERICVS Cybo Massæ, Carrariæq; Princeps Illustrissimus vir omni genere virtutis excellens, & omni laude præstans, & immortalitate dignissimus, & Medicea domui non affinitate tantum, sed miro etiam amore coniunctus; cum haberet vnicum exemplar commentarij à Francisco Nouello Romano Iurisconsulto de Florentiæ vrbis, ac Medicea domus laudibus, ab hinc nonaginta circiter annos sedente, scilicet in Petri sede Leone Decimo conscripti, & in lucem editi, ac videret rarum admodum inuentù esse eum libellum, & non indignum ob nonnullas lepidas historiolas, & cognitione dignas, ad familia Medicea amplitudinem maxime pertinentes, quæ in eo continentur, qui manibus hominum tereretur; mandauit mihi, vt in eorum gratiam, qui his rebus oblectantur, iterum imprimendum curarem. Mihi vero cum eius mandatis obtemperare vellem, non fuit diutius hærendum cui docti illius viri vigilias dicarem, & quem patronum huic libello adoptarem, nam cum in eo agatur de patriæ ac familia tuæ, inter quarum ornamenta tu vel maximum censeris, & ad quarum splendorem ex te non minimum lumen redundat, laudibus, nulli magis quam tibi conuenire videbatur; præterea cum primo ad Iulium Medicem Cardinalem amplissimum conscriptus fuerit, qui de-

inde Pontifex Maximus Clementis Septimi nomine effectus est, cui magis quàm Alexandro Medici Cardinali Amplissimo, qui ijsdem vestigijs insistit, ijsdem honoribus floret, & in Christi vinea colenda, & purganda plurimum laborat, & ijsdem in ea muneribus fungitur, donandus erat? Tu enim is es, qui cum patriam clarissimam, familiam amplissimam, ornatissimos propinquos, & affines habeas, virtute tamen perfecisti, vt quanto honore ipse ex illorum dignitate afficereris, non minora illis ornamenta ex tua laude redderes, & publicis Christianæ Reipublicæ & Dei Ecclesiæ muneribus obeundis, non solum tueris, ac retines, sed auges etiam, & amplificas patriæ, ac familiæ laudes per se maximas, & clarissimas. Quod vel maxime declarat tua Gallica Legatio, in qua ea innocentiæ, prudentiæ, liberalitatis, beneficentiæ, Christianæq; pietatis documenta dedisti, vt omnibus exteris nationibus maxime commendetur tua virtus, & probitas, & eam præterea constantiam, & animi excelsi, atq; inuicti magnitudinem, ac robur ostendisti, vt pacem inter nobilissimas nationes, & amplissimos, ac potentissimos reges conciliaris, quæ quidem in causa est, vt vere Christiani omnes principes quiete, ac pacifice viuant, & concordi animo Christi hostibus resistere facilius valeant, vt ea de causa, & Clementi Octauo Sanctissimo, ac prudentissimo Pontifici, à quo tu vnus ex omni collegio ad tantum munus delectus fuisti, cumulate satisfeceris, & Christianos omnes tibi maxime deuinxeris, & omnes te ament, admirentur, celebrent, & quietem, qua fruuntur, tibi acceptam referant. Fruere igitur, amplissime Princeps, hac tua virtute, & hoc qualecunq; est munusculum hilari fronte accipe, meq; in eorum numero esse existimes, qui virtutes, ac merita tua optime cognoscunt, & suspiciunt, & tuo nomini addicti, ac dediti præter cæteros sunt. Vale, & diù foelix viue. Romæ xij. calend. Nouembris. M D C I I I.

DE

DE VRBIS FLORENTIAE AC MEDICEAE FAMILIAE NOBILITATE.

FRANCISCI NOVELLI COMMENTARIVS.

FRANCISCVS NOVELLVS, Romanus I. V. Profeſſor Ampliſſimo Iulio Cardinali Medici Honoratiſſimo morum ſpeculo Salutem.

OLIM, Ampliſſime pater, cum ex pueris ex ceſſiſſem, primoſque pubertatis annos egreſſus eſſem, ita me quidem ſacrarum ſtudia legum tenuerunt; vt aliquibus annis, quibus Peruſiæ vberrimis I. V. fontibus Petro Philippo Corneo, & Nouello Baldo Bartolino magna ibi cũ laude profitentibus operam dabam, nullum omnino (quod auſim dicere) tempus ocioſum duxerin; quin illis andiẽdis aſſidue fuerim impertitus. Poſtea verò cum diuerſorum doctiſſimorum hominumquàmplurima volumina, non ſolum ſpendidiſſimo iuriſconſultorum lumine præuio Ioannebaptiſta Caccialupo; verum pleriſque alijs eius facultatis viris etiam clariſſimis; viam in iure canonico, & ciuili monſtrantibus comparaſſem. Cœpi mecum in hac præſertim ætate mea ſenectuti proxima curioſe ſingula rimari, atque tacitus reuoluere,adeoque ſum ipſis voluminibus euoluendis oblectatus, vt in antiquo ſtudio, & ſtrepitu hoc forenſi, tamquam in puluere quotidiano exercitus animus meus non mediocriter refectus ſit. Incidi igitur in quædam præſenti volumine contenta opuſcula, quæ ab omnibus fere vrbis impreſſoribus, & amultis, varijſque legum peritis, & cauſarum patronis ac tabellionibus etiam ſacri Palatij apoſtolici ad imprimendum adeo quæſita, atque efflagitata fuerint, vt ad communem vtilitatem, &

fructum imprimenda denegare non audeam, & in aspectum, lucemque non proferre. Sed dum cogitarem, & animo reuoluerem, cui nam ea destinare deberem, nullus tandem omnino mihi magis in animo meo occurrit, quam tua amplitudo; cui & ipsa opera, & me ipsum pariter traderem, & dedicarem; ea præsertim causa, quia cum bis tantum tua cum amplitudine locutus essem, ita tuæ amplitudinis nitor traxit me ad illam amandum, & venerandum, vt non aliter amauerim, veneratusque fuerim tria illa sacratissimi senatus vestri olim fulgentissima sidera, Franciscum Piccolomineum Senensem, Oliuerium Carrapham Neapolitanum, Marcum Barbum Venetum, qui sacrum mihi Chrisma impresserat, in suo quemque Cardinalatus honore insignem, & ipsum Senensem Piccolomineum Franciscum summo etiam Pontificatu præluſtrem, quorum, vt viuentium procurator eram, ita nunc post quam inter mortales esse desierunt; eorundem præsidio spoliatus existo. Nec mirum si in te nitor, comitas, beneficentia splendent, quia Florentia ortus es, opum abundantia, virium gloria, & præstantissimorum virorum primaria totius Hetruriæ nobilissima, ac validissima ciuitate, quam a Romanis traxisse initium satis constat. Et quamuis veteres aliqui affirment eam originem habuisse ex ea ciuium Colonia, quam Lucius Sylla post ciuilem victoriam Fesulas (diuisis viritim agris) misit, qui montium asperitatem fugientes in plano iuxta fluentem Arnum consedere, tamen deduxere Florentiam inclitam ciuitatem Coloniam triumuiri Octauius, qui deinde Augustus, Marcus Antonius, & Marcus Lepidus etiam Pontifex Maximus, Coloni autem deducti Cæsariani milites, quibus assignata ducenta iugera per Cardines, & Decimanos, vt apud Iulium Frontinum celeberrimum scriptorem, qui Neruæ ætate floruit in libro de agrorum mensuris, quem celebris Medicea bibliotheca vetustissimum habet, compertum est. Cuius sententiæ spectatæ fidei vir Angelus Politianus græce, latineque disertissimus, egregius pœta, excellensque orator astipulatur, & primo epistolarum libro, secunda epistola ad Petrum Medicem Laurentij filium testatur. Primæ autem huius vetutissimæ ciuitatis mœnia non multo ambitu fuere, sed instar Augustinissimę Vrbis Romæ conditam tuam amplitudinem non latet, vt illius vetustissima vestigia demonstrant: Thermarum quoque rudera quædam nouis ædificijs inserta, a quibus & hodie propinquus vicus Thermæ vocitatur, ac aquæductus lapideus, cuius extra vrbē nonnulli arcus apparent. Pantheon etiam Florentiæ superstat Templum nobile, quod Marti gentilitas dicauit, maximam arguens vetustatem, nunc Diuo Ioanni Baptistæ præcursori, qui tutelam ciuitatis gerit, sacratum. Nam, & Augustus vltori Marti Romæ medio foro templum posuit: Martem Romani autorem originis habue-

habuerunt; Marte autore Florentia condita, & illuſtrata eſt. Nomen Capitolij, & propinqui fori ad hanc diem Florentię perſeuerat, ac id quarundam Regionum nomina indicant. Sunt veteres aliqui, qui ſcribunt, à præfluenti Arno Fluentinos dictos, eoque orta Florentia, Plinius (vt in tertio libro naturalis hiſtoriæ legitur) Fluentinos præfluenti Arno appoſitos dixit, quod Pogio Florentino doctrina, & eloquentia præſtanti in principio primi libri hiſtoriarum Florentini populi, ſimilius vero videtur; quam quod Leonardus Aretinus clariſſimus orator ſcriptum ſuis in hiſtorijs reliquit, exiſtimans quoniam inter duo fluenta Arnum, & Munionem locata eſſet, Fluentiam dictam, quia Plinius origini dictæ Vrbis proximus ætate fuit, & Munione torrentem, & non fluentem vado ſæpius æſtate arido appellari decet. Sed Chriſtophorus Landinus prohæmio in Dantis interpretationes hætruſca lingua ſententiam Plinij probat, pariterque, & Leonardi, eo qnod inter Arnum, & Munionem locata ſit. Tamen poſtquam Florentia adoleuit, & Florentinorum ingenia floruerunt, eorumque virtute Feſulanis ſuperatis Imperium propagatum eſt, Florentiam dictam autumat. Angelus Politianus verò excellenti, & varia eruditione diligentiſſimus antiquitatis indagator, cauſam nominis dictę præclariſſimæ Ciuitatis curioſius, & altius eius acumine argute, & ingenioſe ſpectans, dixit vrbi Romę triplex nomen fuiſſe, vnum peruulgatum, alterum, quod arcanum fuit, vnde ſuam Amarillida, quę amorem proprie ſignificat in Bucolicon carmen Poeta detorſit, tertium ſacrificijs debitum, de quo vocabulum Floralibus impoſitum. Hoc enim Anthuſam, Gręce Philadelphum doctum hominem interpretatum eſſe affirmat, quod latine tranſlatum, vel Floram, vel aptius Florentem, aut Florentiam ſignificare videtur. Anthuſę etiam fuiſſe vocabulum Conſtantini vrbi poſitum, quę noua Roma diceretur, dicta eius epiſtola expreſſit, & tam Philadelphum, quam Euſtachium etiam doctiſſimum virum ad hoc teſtes adducit, & Ptolomei vetuſtos quoſdam Codices certe fateri Florentiam affirmat, ac Plinium hiſtorię naturalis libro quartodecimo, quamquam vulgatis Codicibus mendoſiſſimum omnino dicat eſſe locum: Paulinum Ambroſij diſcipulum meminiſſe Florentiam refert, & Procopium Florentiam indicauiſſe. Sed miror Politianum ſummum in litteris hominem L. Florum in rem hanc non citaſſe, qui dum de ciuili bello Mariano, Syllanoque agit Florentiam nominat, & inter vetuſtas Italiæ Ciuitates recenſet. Ad quid nunc tot teſtes? Cornelius Tacitus Leonis decimi Pontificis optimi maximi beneficio nuper inuentus, in extremo primi libri, quem Politianus non vidit, Florentinos dixit. Hęc ampla, vetuſta, & pręclara Ciuitas, Ciuitatum Italię flos, a Romanis ad imaginem Vrbis

Romę amænisſimo loco, ante Christi Dei Saluatoris nostri aduentum condita, nobilis origininis vetuſtate, ſitus amænitate, forma, magnitudine, & ſplendore florentisſima, floruit ſemper, vt floret viris morum ſuauitate, modeſtia, & vrbanitate ornatis, victu nitido, & moderato, veſtitu decenti, cultu ciuili, ac in omni genere ſcientiarum pręſtantisſimis: in mercaturæ verò negotiatione, aliarumque artium miniſterio, & induſtria ſedulis, ſolertibus, diligentibus, & frugalisſimis. Floret cultus diuini religione, celebri ſacrorum ceremonia, magnarum rerum olim geſtarum gloria, ſpendore, felicitate. Floret optimis ad bene, beateque viuendum inſtitutis, politico, & recto gubernandi rempublicam modo, ordine, & ratione, vt neglectis proprijs commodis, omne ſtudium ad publicam referant dignitatem. Floret iuſtitię, & iuris obſeruatione. Vigent in ea acutisſima & ſplendidisſima hominum ingenia exculta, & expolita. Vigent dociles homines, qui tenaci pollent memoria. Vigent bonarum artium ſtudia. Abundat pecunijs & ingentibus diuitijs publicis, & priuatis, ac maxima denique opulentia, & quidem incredibili. Abundat rerum copia ad victum, & multa fructuum varietate. Fulget in eadem Diuę Reparatę media vrbe templum facie pulcherrima, egregia forma, ſumptu, opere, & materia celeberrimum, ac longe omnium luculentisſimum, & opulentisſimum altisſimo, ſuperbo, & miri artificij ſtupendo fornice, ſiue teſtudine, ſummo, ſublimique, ſuper pulcherrimo apice decoratum, diuerſis introrſum ſacellis cum pręciosisſimo ad ſacrorum ceremonias ornatu, & diuiti ſupellectile, cui inhęret ſacra marmarea turris eminens, & amplis, & egregijs campanis munita. Corruſcat Florentię miraculorum claritate auguſtisſimum delubrum deuotione, & cultu maximo, in quo inſignis Virginis Annunciatæ imago innumerabilibus miraculis illuſtrata conſpicitur cum multis opulentisſimis pijs donarijs auri, & argenti, religioſe, & pie eidem venerandæ imagini conſecratis. Nitent ſacrę ędes, ac ſplendidisſima templa miro etiam cultu & deuotione prædita cum ingenti ad rem diuinam ornato apparatu. Conſulgent quamplurima magna virorum, & mulierum pręclarisſima monaſteria, quorum aliqua adeo magna ſunt, vt parua videantur oppida, magnificentisſimis ędificijs ſtructa, varijsque ornamentis decorata, commoditatibus, redditibus, ac multis bonis abundantia. Pijsſimum conſpicitur Sanctę Marię Nouę ſingulare hoſpitium, quod cętera in toto orbe pia hoſpitia excellere videtur, inquo infirmi diligenti ſtudio curantur, atque aluntur. Sunt, & alia hoſpitalia permulta, piaque loca diuerſa, ac religioſę domus eximia pulcritudine, & deuotione ornatæ. Splendent in ea ſplendidisſimę ad publicum vſum ædes magiſtratuum ſedes, am-

plisſimę,

plisſimę, & pręclarę priuatorum ciuium domus cum ingentibus diuitijs, multaque munda, & ornata ſupellectili refertę. Alta, & decora tecta, ac magnifica ędificia, publica etiam, & priuata. Patent latę, rectæque vię, miro quodam ordine lapidibus ſtratę. Patent Compita, pulcherrimę porticus, amplę plateę, lapidei pontes, magni, lati, & mirifice ſtructi, ſub quibus Arnus interfluit, turres, pręclara mœnia, propugnacula, ſpecioſę ciuitatis portę, aliaque ad ciuitatis decus incredibilia ornamenta. Sunt & frequentes circa vrbem elegantes ſuburbanæ villę, quarum aliquæ magna videntur oppida, in quibus non villaticę caſę, ſed magnifice ſtructę viſuntur domus pulcherrime ornatę cum ingentibus ędificijs. Sunt, & villulę permultę, pagi per quam magni, varij, & diuerſi, domorum multitudinem non ruſticanarum, ſed vrbanarum continentes frequentiſsime habitati. Habet miram olitoriorum hortorum amęnitatem, fructifera pomaria, vineta, olíueta per quam multa, apricos colles, virentia prata, ſcatentes, & vberrimos fontes, placidos latices, flumina, conualles, aliaque amæniſſima delectabilia loca, lęta vndique blandaq; facie, ac hilari aſpectū, & proſpectū gratiſsimo arridētia. Tellus miro hominum artificio colitur, vt magis aſsiduo, & frequentiori humani operis cultu, atque negotiatione ferax fiat, & fructuum inde incredibilis vbertas proueniat, vberiorque vrbi annona affluat. Imperat florentiſsime Piſis, Feſulis, Piſtorio, Volaterris, Aretio, & Cortonę amplis ciuitatibus, quę ei parent: ſubijciuntur quoquę ei quamplurima oppida, & pene infinita municipia. Habet denique amplum longe, lateque imperium, vberrimum, & quamopulentiſſimum, cum ampliſſima fortuna, & felicitate. Nam ſępius tentata a Gotthis, alijsque gentibus, & principibus, non modo iniurias iuſtis armis animoſe propulſauit, ac validiſſimis, & robuſtiſſimis exercitibus hoſtes arcuit; verum etiam miſerabilem illorum cędem fecit. Tanta eſt huius Reipublicę potentia, pecuniarum vis, vt varijs in bellis maximos & incredibiles theſauros cōſumpſerit. Ex huius ſplendidiſſimæ ciuitatis nitidiſſimo, ſuauiſſimo, ac ſaluberrimo fonte fluxerunt multi ſancti patres, cōplures ſingularis doctrinę, virtutis, & pręſtātię, ampliſſimi Cardinales, & viri in omni genere virtutis, & ſcientiarum doctiſſimi & pręſtantiſſimi, quorum fama cognita eſt. Florentiſſime protulit veluti ſuauiſſimum, & fructiferum florem, diuinum odorem ſpirantem, ipſum Leonem Medicem Maximum, optimumque, probatiſſimum Pontificem Decimum, omni virtutum genere ornatiſſimum, quo maxime illuſtratur, & clariſſima eius luce refulget, & merito, quia tanti Pontificatus magnitudine, & ſplendore lux ei inſoliti fulgoris, & claritatis effulſit, & reliquo terrarum orbi nata eſt. Lætetur ergo, lætetur Florentina vrbs pulcherrima, hoc tanto;

taliquc maximo Pontifice, cui ad decus, & gloriam nihil deeſt, tam ſapientiſſimum Patrem, quem multæ virtutes comitantur, & ad hanc Pontificalem dignitatem perduxerunt, veneretur, recognoſcat, & longa fœlicitate ſummis laudibus, & honoribus proſequatur. Effloruerunt etiam Medices innumerabiles, ornatiſſimi viri, qui poſt adeptam, & aſſecutam libertatem ſemper, vti optimi ciues, tam fœliciter, quam ſapienter, reipublicæ Florentinæ libertatem, & dignitatem tutati ſunt, vtque ex omni parte illius imperium augeretur, & auctum conſeruaretur, ciuitaſque ſanctioribus gubernaretur inſtitutis eorū præſtantia, toga, conſilio, dexteritate, prudentia, diligentia atq; frugalitate, auctoritate, opibus, bello, & pace quam ſtudioſiſſime curauerunt, vt patriæ ſaluti, & cōmodo maximo, vtiles ſemper fuerint, atque ornamento, de ſeque præclariſſimū, & illuſtre præbuerint exemplum, iterque poſteris ſplendidiſſimum. Sedne ab origine repetam, & poſt Auerardum Medicem primū & ſex eius filios, Contem videlicet, Talentum, Iuuencium, & Iacobum auratos equites, Franciſcnm, & Clariſſimum, tot huius præclaræ familiæ claros viros, gentem nobilem, præcipuam, elegantemque Medicam progeniem, ex qua tua amplitudo manauit. Quid dicam de Ioanne Medice primo Auerardi ſecundi Filio, & Clariſſimi Auerardi primi filij, exdicto ſecundo Auerardo nepote, egregij excelſique animi, ac inauditę erga patriam charitatis, & pietatis viro. Nam cūm Ioannes Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus, vir miræ animi magnitudinis & fortitudinis Maffæo Vicecomite ſeniore fratre defuncto, multas ciuitates ſuo adieciſſet imperio, & vt fines proferret, occaſionem quandam mouendi belli Florentinis animo conceptam litteris declaraſſet, Ducemque exercitus eius Ioannem Aulegium Vicecomitem conſtituiſſet. Aulegius celerius cum infeſto agmine, firmiſſimoque exercitu, & formidabili apparatū in agrum Piſtorienſem profectus, quarto ab vrbe lapide caſtra locauit. Per idem vero tempus Florentiola occupata, & Arce Coloreti deuicta, Piſtorij deſperata victoria, inexpectatus in Florentinum agrum ad quartum ab vrbe lapidem deſcendit, Suburbijs, & propinquis regionibus populatis, vt de Florentia ciuitate occupanda maxime timeretur. Calenzano paruo oppido, alijsque caſtellis incenſis, Galliano, ac villa noua finitimiſque locis, ac arce montis Viuani deuaſtatis, Aulegius ad Scarpariam caſtrametatus cum pollicitationibus, ac minis ad deditionem oppidanos adhortatus videns illos inducere non poſſe continuis prælij s, cum bellicis machinis ac baliſtis illam oppugnaret, multaque ædificia tormentis, catapultis intus collaberentur. Et quia oppidani non poterant diutius obſidionem tolerare per Florentinos miſſo exetcitū ad præſidium oppidi, Aulegius vigi-

lias

lias duplicasset, ne cui esset facultas introeundi, castraque summa cura obseruari praecepisset, nec Scarparia satis firmo esset praesidio, continuisque vexaretur praelijs, Ioannes Medices ad virtutem, laudem, & gloriam natus, ac inter claros, & illustres viros habendus, nec non virtutis praeconio extollendus rei militaris haud ignarus, vt verus ciuis, & commodi publici procurator, maxima erga patriam, in qua genitus esset, & educatus, charitate, atque pietate vrgente formidabili bello mox operam suam in ferendo oppidanis auxilio vltro pollicitus, centum selectis suo arbitrio peditibus, cum maenibus propinquaret re hostibus palam facta, in castra irrumpens, & ferro viam faciens, viginti amissis in oppidum penetrauit. Et ita vt quamuis hostes fossis arboribus repletis, fabricatisque ligneis turribus, factisque cuniculis, omni conatu machinis bellicis, ac sagittarijs saeuientibus vndique dispositis, admotis scalis clamoribus, & tubarum sonitu in muros irruerent & scanderent: tamen iactura maxima, ac cęde repulsi a pręlio destitere, vt omni spe recipiendi oppidi abiecta, cibi, ac potus penuria praemente, cum instaret hyems, post sexagesimum oppugnationis diem Bononiam Aulegius exercitum reduxerit. Vnde soluta obsidione oppidanis immunitas concessa est, & militibus duplex stipendium datum. Et sic Ioannes Medices tantam vim non solum a ceruicibus oppidi amouit, & oppidum ab obsidione diuina quadam ope exemit, verum patrię libertatem, & ciuitatum, & locorum eius conseruauit, lares patrios, focosque, ac liberos ab hoste ferocissimo liberauit, ciuitatesque, oppida, municipia, & castella subacta, & occupata Reipublicę Florentinae restituit. Quam obrem ipse & Syluester Medices ob tam egregium, memorandum, & prę-clarum facinus in triumphum, ornamentum, ac prçmium tantae virtutis, & victorię equestris ordinis fuerunt dignitate donati. Cum autem postea Aulegio cum exercitu Mediolanum reuerso, Archiepiscopus id ęgre tulisset, & propterea maioribus viribus bellum pararet, & magna belli moles Florentinis immineret, Ioannes Medices mox, vt erat vir prudentissimus, & homo amplissimi patrimonij, pluris faciens patriam, quam pecuniam, pro publica vtilitate pecunia spreta, opibus, consilio, atque autoritate, ita cum alijs ciuibus egit, vt Carolus Bohemię Rex Romanorum Imperator designatus in Florentinorum subsidium euocatus fuerit, oratoribus ad eum missis, qui cum eo fędus percuterent, ducentis aureorum millibus acceptis, vt in Italiam transcenderet. Mortuo autem Archiepiscopo peste triduo, anno salutis quarto, & quinquagesimo supra mille trecentos, relictis nepotibus tribus Maffęo, Bernabono, & Galeatio, cum Galeatius Mediolani Dux a Vinceslao Imperatore electo creatus a vita excessisset, relictis Ioanne Maria, & Philippo legitimis,

Gabrie-

Gabriele verò naturali natis, Ioannes Maria natorum maximus Mediolani Dux succeſſor eſſet, & extincto Ioanne Maria, Philippus Maria Mediolani Dux ſucceſſiſſet, bello per eum cum Florentinis cępto, Ioannes Medices cum Pallade Stroczia Venetias legatus miſſus, poſt legationem huiuſmodi, quam ſapienter pro patria obijt, moritur. Cui ſucceſſit magnus Coſmus Medices paternę glorię imitator vere Coſmus, cultus, ornatus, mundus, decorus optimis virtutum odoribus redolens, magni conſilij, auctoritatis, & rarę fęlicitatis, vir amplitudine, eloquentia, temperantia, prudentia, & virtute inſignis, qui cum Philippi exercitu in agro Piſano a Florentinis fuſo, Luca iterum a Florentinis obſeſſa vrgentibus rebus maximis, a Republica Florentina legatus Venetias miſſus eſſet & eo potiſſimum ad id munus electus, quia in Republica pręſtans, tum acceptus Venetorum Duci, multiſque ciuibus ſumma beniuolentia coniunctus, vir ſapiens Venetias profectus, ſuſceptę legationis cauſam ita in Senatu varijs rationibus, illa ſua Socratica grauitate, ſumma cum prudentia diſſeruit, vt omnibus admirabilis fuerit. Poſt vero Ferrariam, vbi Eugenius Quartus per ea tempora degebat, & Gręcorum Concilium aduocauerat, conceſſit, & ita egit, vt Eugenius Florentiam peteret. Eugenio tandem Ferraria Florentiam profecto, & deinde Romam reuerſo, & mortuo anno ſexto, & quadrageſimo, poſt mille quadringentos annos, ſeptimo calendas Martias, pariterque, & Phillippo Maria altero anno Auguſto menſe etiam vitam deſerente, creato Nicolao Quinto Pontifice Maximo, cum Veneti cum Mediolanenſibus contra Franciſcum Sfortiam dicti Phillippi generum rei militaris peritia, & experientia ea tempeſtate principem, ac pace, & bello pręcellentem fędus iniſſent, exiſtimantes Franciſcum nequaquā ſuis opibus poſſe bellum contra Mediolanenſes gerere, & Franciſcus propter vxorem Blancam Mariam dicti Philippi filiam pręſtanti laude, & inſigni virtute conſpicuam fœminam, illuſtrem, inclitam atque clariſſimam, Regnum tanquam hęreditario vxoris iure ad eam deueniret, in Mediolanenſes arma vertiſſet, nec poſſet tot Venetorum, & Mediolanenſium munitiſſimis copijs reſiſtere, Magnus Coſmus vir pręſtantiſſimus domi, foriſque egregius, maximis in Reipublicæ pace, ac bello gerendis rebus verſatus, qui iure, & merito potuit cum omni hominum memoria ſui temporis de gloria certare, ita pro Franciſco Sfortia innixus eſt, vt eius conſilio, opibus, ac pecunia, Franciſcus maiori animo bellum gerens, Mediolanenſem Ciuitatem tandem calamitatibus feſſam, ſe dedentem anno nono, & quadrageſimo poſt mille quadringentos cæperit, ac è veſtigio reliquis locis, quæ ad Philippi regnum ſpectarent, in deditionem receptis, Ducis nomen aſſumpſerit. Poſt autem in Senatu magni Coſ-

cũ insignis auctoritas serena quadam luce ita praecelluit, & apud Pontifices Maximos sui temporis, ac totius Italiae, ac Christianae religionis principes tam nostros, quàm exteros, vt eius praelustris naturae beneficio virtus, sapientia, prudentia, modestia, constantia, circumspectio; sanctissimae in illo senatu Florentino sententiae, & quidem graues, & memorandae, magnificentia Socratica, sine populari aura, sineq. ambitione grauitas, comitas, liberalitas, beneficentia, pietas erga omnes, amplitudo, splendor, animi moderatio, ciuium etiam in eum eximia beneuolentia, & studio probatissimi mores, charitas erga ciues, etiam tuendae, & conseruandae patriae libertatis, ac in aduersis fortitudo à plerisque clarissimis Poetis, & Oratoribus maxime laudentur, & praesertim post multos claros, & illustres oratores, qui de Cosmi vita, & moribus scripsere, ab excellenti doctrina, & diuino nostrę aetatis viro Ioanne Iouiano Pontano in illo suo opere de domestica fortitudine his ipsis verbis; Nam cũ se etiam ex valitudine Cosmus Domi contineret, non solum Florẽtinae res, sed pene totius Italiae, quae tunc erat in magnis belli ardoribus, ad eum deferebãtur, cuius domus non priuati ciuis, sed potius curia iudicari poterat, cum interea sua magnificẽtia templa aedificanda curaret, & libros vndique in suas bibliothecas congereret, non minori diligentia, quam sumptu. Quanta etiam fuerit late eius liberalitas diffusa erga multos vniuersae Italiae manifestum esse non ignoramus, & idem Pontanus alio opere de liberalitate eo capite, Interdum secreto quoque dandum esse testatur Cosmum non palam, neque in publico, sed secreto munera dedisse, & aliquando misisse, vt qui ea receperint, ignorauerint à quo missa fuerint, iuxta illud Christianorum prouerbium, Ignorare sinistram debere, quod dexterà ipsa dederit, vt potius esse, quam videri liberalis optaret, ita vt propter haec, & alia innumerabilia Cosmi praeclarissima gesta, immortale nomen, aeternaq. laus, & sempiterna memoria ipsius Cosmi perpetuo virtutis exemplo comparata sit, vt publico decreto, togae splendore, Pater patriae in tantae virtutis testimonium ad sui nominis aeternitatem dictus fuerit. Debebunt igitur Medici magno Cosmo omnis Medicea, & Florentina posteritas: laudabunt tot fęcundos, ac foelicissimos labores, tantam memoriam aeternitati consecrabunt. Nam si clarissimae quaedam ciuitates, & populi tumulos, trophaea, aliosq. honores decreuerunt his, qui aut de patriae libertate, aut reipublicae gloria, aut de finibus fortiter dimicando pro patria occubuerunt, quanto honestius huic Cosmi memoriae maiora pręmia debentur, qui dum viueret non tantum patriae acerrimus defensor fuit, atque conseruator, suaeque Mediceae familię amplissimum, & splendidissimum decus se exhibuit, verum etiam sapientia, toga, consilijs, auctoritate, & ingenti gloria totius

Italiæ ornamentũ. Quapropter tot clarissimis virtutibus, quotannis pia Cosmi memoria debito humanitatis officio, & quidem merito perpetuo recolatur, repetatur, extollatur, atque celebretur. Quid dicam de Laurentio Cosmi fratre viro integerrimo, egregijs maioribus, & fraterna gloria fulgenti, cuius auctoritas apud Eugenium Quartum Pontificem maxima fuit. Quid de Petro Cosmi filio paternæ virtutis æmulo domi, forisque, conspicuo? qui firmata pace inter Venetos, Florentinos, & Franciscum Sfortiam Mediolanensem Ducem anno quarto, & quinquagesimo, supra mille quadringentos velut ciuitatis primarius vnà cum Ioannotio Pandulphino, vt omnium bellorum semina, & iniuriarum tollerentur, Orator ad Venetos decretus legatione peregregie ad communem totius Italiæ pacem, & amicitiam stabiliendam functus est. Quid de Ioanne Medice Petri fratre viro optimo, & splendidissimo? Quid de Petro Francisco Laurentij Magni Cosmi fratris filio, viro magnifico, & morum grauitate & mirifica probitate præstantissimo, corporis dignitate, ac varijs virtutibus ornato? Quid de Iuliano Medice parente tuo Petri filio, ciue optimo omnibus æque grato, sua & maiorum gloria claro, magnanimi, ingenij, summæ prudentiæ, miræ humanitatis, & maximæ auctoritatis viro docto, & eloquenti, ad quem varia doctissimorum fuerunt missa volumina, cuius inter cętera amplissima ornamenta à maioribus parta, & non modo conseruata, verum aucta; cum Laurentio fratre etiam diuini ingenij, summæq. sapientiæ viro tanta fuit concordia, tam mutua pietas, tanta virtutum omnium, & animorum similitudo, vt ipse & Laurentius veri, & amantissimi fratres vnius mentis, vniusque animi viderentur, vt non maiori concordia, & pietate vixerit Castor, & Pollux, quos ob mutuum animi, siue voluntatis affectum, inter sydera receptos fuisse antiquitas putauit, & tum in domestica gloria, tum ciuitatis honoribus, semper Laurentio, & Iuliano, vnum velle, & vnum nolle fuerit; nemoq. Laurentium coluerit, qui Iulianum plurimum non obseruauerit. Fuit tandem dicti Iuliani erga Laurentium fratrem tantus amoris, & beneuolentiæ nexus, pietatis coniunctio, & reuerentia fraternalis, vt Laurentio semper quibuscumque in rebus cederet. Quid post hos, & multos alios, huius Mediceæ familiæ claros & insignes viros de illa viua, venerabili, & immortali imagine nostræ ætatis, alterius Mecænatis, Laurentij Petri filij, & Iuliani fratris, magnanimi viri, Leonis Decimi Pontificis Optimi Maximi genitoris, qui in omnibus paterna, auitaq. non solum sectatus, verum supergressus est vestigia. Nam hic Laurens tam sapiens fuit, acerrimi ingenij, eloquentiæ, grauitatis, magni consilij, & auctoritatis, vt quodcumque diceret, non ab humano homine, sed diuino quodam Oraculo dictum putaretur. Fuit La-

tina

tina lingua, & Hetrusca, siue Florentina eruditus, & cultus. Valuit Musica, Architectura, alijsq. disciplinis, & tot naturæ dotibus ornatus fuit, vt nulli laude secundus fuerit. Tanti fuit animi quod vix dum adolescẽs in illa Volaterranorum defectione, tam sapienter, quam prudenter ad tuendam Reipublicæ maiestatem inuicto quodam animo se gessit, quod crebris prælijs eius virtute, populum illum, præter omnium opinionem, prospere expugnatum, pulcra, & spectabili victoria domuerit, & impensa, duduq. suo in Florentinorum deditionem venire coegerit. Contra Sergianam à Genuensibus emptam, & demum per fraudem à Florentinis ereptam, ex publico ærario multum variis in bellis diminutum putans, valido comparato, atque misso exercitu, dum oppidum non solum arce, & mænibus munitissimum, sed magna militum copia, armorumque, & tormentorum vi refertum, summa Florentinorum ducum prudentia, & militum robore; iustis armis oppugnaretur, nec expugnari posset, Laurentius tum domi, tum militiæ clarus, in castra profectus, & cunctis consilio, & ratione exploratis, tantum animi, & spei Florentino exercitui præstitit, atque auctoritatis; hostibus vero terroris intulit, vt ilico ciues territi, ac trepidi, se & omnia fidei Laurentij commiserint, & tandem fide (qua nihil ei antiquius fuit) seruata, opera, virtute, fortitudine, & auspicijs Laurentij fęliciter Sergiana in Florentinorum potestatem redacta fuerit. Petram sanctam Florentino etiam imperio adiecit. Pisis deuictis, atque triumphatis, repurgatis & detersis lacunis aerem salubrem restituit, ipsasq. Pisas notabiliter excoluit, & præcipue frequentauit. Bello quo à Syxto Quarto Maximo Pontifice, & Ferdinando Rege Neapolitano sapientissimo, Florentia cum tota Hetruria vexabatur, Laurentius Neapolim profectus patriæ pacem, & toti Hetruriæ reddidit. Ferrariã Venetorum obsidione pressam consilio, opibus & auctoritate liberauit. Maxima fuit huius hominis apud nostros, & exteros principes, etiam infideles, auctoritas, & tanta, vt ab illis ad eum opulentissima dona missa fuerint. Sublime fuit in eo ingenium, sapientia maxima amplissima comitata fortuna; maxima tum domi, tum foris prudentia, fortitudo, in secundis modestia, in aduersis æquitas, & in omni fortuna constantia, vt Reipublicæ Florentinæ dignitatem, non solum in multis, varijsque, ac turbidis discriminibus, & rerum maximis difficultatibus, ac ciuilibus periculosissimis fluctibus conseruauerit, verum maxime auxerit, & eius auctoritate prosperrime illustrauerit, pacisq. totius Italiæ procurator fuerit. Nam semper non solum patriæ salutem, & securitatem curauit, verum Italiæ pacem, & ocium semper sibi cordi fuisse non ignoratur. Ad multam rerum publicarum mole, & magna priuatorum negociorum cura vigilabat noctem. Somni fuit breuis. Honesta vestie-

batur veste. Cibi erat moderati: Viniq. natura parcissimi,& diluti. Rerum vetustatem maxime miratus est. Priscorum statuas, & imagines, aliasq. antiquitates vndique conquisiuit, & in illis habendis maximam dedit operam. Ad maiorum imitationem bonas litteras semper fouit, & mira, eximiaq. liberalitate litteratos prosecutus est, à quibus in laudem innumerabilia ei luculentissima dicata sunt opera. Per Italiam, Græciam,& alias mundi partes varios cũ ingẽti pecunia misit nuncios, qui omni studio optimos vbique Græcos,& Latinos odorarentur libros, & emerent; & non sine magna impensa, & labore, innumerabiles quidem ad se deuehi, & comportari studuit,quibus diuersas Florentiæ compleuit Bibliothecas. Quotidiana doctorum,sapientium & eloquentium virorum consuetudine mirifice delectabatur, & cum illis dulces, & graues sermones habebat.Bonis comis,& benignus fuit,malis infestus,vita iucundus, ciuibus amabilis,ac liberalis, omnibus æque gratus,sermone facilis, elegans, lenis,vrbanus, blandus,facetus, in audiendo patiens,ac circumspectus. Magnificæ eius ædes nulli clausæ, omnes ad illas ventitantes statim admittebantur,facilesq. ad eum dabantur aditus,& libera alloquendi facultas;dum in illis esset plenæ erant, & frequentes Ciuium, aliorumq. Clarorum virorum. Vbi in publicum procedebat, maximo ciuium comitatus numero, semper senioribus cedebat. In Senatu eius consilia fuerunt grauia, salsa, eloquio plena,& minime ambitiosa. Tantus fuit eius erga populum Florentinum charitatis, & beneuolentiæ amor, quòd cum Florentiæ ob annonæ caritatem minus frumenti esset, & valida quotidie fames augeretur,& increbresceret, adeo,vt populus, sæua iam fame afflictus, illam vltra tolerare non posset, Laurentius miris laudibus efferendus,tamquam verus omnium pater, paterno affectu, magnifico quodam animo,& maxima pietate, protinus ex Sicilia, alijsque locis ad vrbem propria pecunia vbertim frumento aduecto, larga dextera Florentino Populo optatam frumenti copiam,& quidem vilem, salubriter obtulit,& famem omnem celeriter abire iussit, atque expulit. Innumerabiles adolescentes puellas viro maturas proprio ære dotauit, pie honestis matrimonijs collocauit. In pauperes maximas effudit, & elargitus est eleemosynas. Lites qnam maximas, & multas controuersias inter ciues composuit,& ad pacem & beneuolentiam reconciliauit. In iungendis ciuium affinitatibus maximam nauauit operam. Res certe annalibus illustres. Magna fuerunt Auerardi Medices primi Contis,Talenti, Iacobi, & Iuuenci auratorum equitum, Francisci, & Clarissimi dicti Auerardi filiorum, Auerardi Secundi Clarissimi filij Ioannis magnanimi viri; cuius supra meminimus,Cosmi,& Laurentij Ioannis filiorum, Petri & Ioannis filiorum Cosmi, & aliorum huius præclaræ familiæ ornamen-

namenta, siquis historias Florentinas legerit. Sed haud quidem minora, & minus conspicua Laurentij. Is Laurens maxima cum laude, gloria & honore vixit. Quadragesimo tertio ætatis anno mortuus est; cuius si cum maiorum suorum gloria, atque splendore, bonitatem etiam, modestiam, æquitatem, clementiam, in propinquos charitatem, in hospites beneficentiam, studium in ceteris erga patriam, quot pauperes subleuauerit, afflictos erexerit, sacra quam caste coluerit, pensitaremus, maximam dicendi materiam aggrederemur. Quam autem Laurentius ipse Hetruriæ caput, & patriæ pater, Principibus conferendus (licet ciuis) sapientia, consilio, saluberrimoq. ingenio, ipsius Reipublicæ Florentinæ, qua nihil ei fuit charius, malorum nimia frænata licentia, & æquis legibus ad rectam viuendi viam moribus reformatis, felix moderator fuerit, etiam insigni auctoritate, & de ea, ac Christiana religione benemeritus, superuacuum esset dicere, quia notissimum est. Qui Claricem Clarissimam virtutibus insignem vxorem duxit, Romani sanguinis clarissimo Vrsinorum genere natam, quæ maximum de se virtutis testimonium præbuit, ex qua Leonem ipsum Patrem nostrum sanctissimum, Optimum Pontificem Maximum, omnium sæculorum decus & ornamentum, Petrum, & Iulianum præstantissimos, summos, & excellentissimos viros eius generoso semine tulit. Filias vero quam pudicissimas, Matri omni virtutum genere quam simillimas. Vnde verius vero illud Saluatoris nostri Christi Dei, quod in Euangelio legitur. Bona arbor bonos fructus facit. Et illud sapientis Euripidis; Ex bonis bonos procreari. Quod etiam Digestorum edicto ædilitio, & Horatij sententia iure optimo comprobatur. Nam cum tales fuerint, qui Leonem Sanctissimum Patrem nostrum, & alios eius familiæ genuerunt, non potuit non optimus is Leo esse, quem hodie in hac augustissima, & sublimi Petri sede locatum videmus, qui eius maioribus non dissimilis fuerit, sed eos egregie superarit; qui ingenuis moribus, salutaribus preceptis, ac disciplinis optimis, cura dicti eius diuini Patris virtutum omnium mirifice studiosissimi, quibus puerilis ætas ad humanitatẽ recte informari solet, institutus; musicæ etiam (vt fertur) ea ætate operam dedit nec immerito; nam Timagenes Musicen in litteris studiorum antiquissimum putauit, cui senex comicus Aristophanes adstipulatur. Is auctor est pueros ab initio Musice, & litteris institui solitos, quam Grammaticæ arti Architas, & Aristoxenus subiecere, adeo vt Græci omnes Musicam discerent: Musica apud summos, & sapientissimos Græcos, qui bonarum omnium artium, & præstantissimarum disciplinarum non iniuria omnium gentium testimonio, & consensu principatum sibi vendicauerunt, maximo semper in honore habita est, & tanto in precio, vt qui eius ignarus esset, ha-

a l. Quod si nolit § qui mancipia.

haberetur indoctior, ita vt Græci summam eruditionem in neruorum, vocumq. cantibus censebant; & cum bene viuendi ratione coniunctam existimabant, & ideo in Græcia Musicos maxime floruisse, multa nobis argumento sunt. Bene igitur hanc disciplinam latinitatis, & eloquentię parens Marcus Cicero, in primo Tusculanarum quæstionū libro laudat, & Quintilianus primo de oratoria institutione dicens antiquis temporibus Musicam, non studij modo, verum venerationis plurimum habuisse, vt ijdem musici, & vates, & sapientes iudicarentur. Plato Musicam ciuili viro necessariam duxit. Aristoteles, & multum, & sæpe laudauit, disciplinamq. liberalem atque honestam constituit. Lycurgus & si durissimarū legum auctor fuerit, probauit, qua inter sacra domini nostri Leonis Decimi sanctissimi animus, & quādoq. multiplici sollicitudine, & curis maximis, quibus his præsertim temporibus in hoc florentissimo Pontificatu assidue premitur, aliquando quam lætissime recreatur. Nec mirum ad tantarum curarū honestam cessationem quandam, quia licet iuuenis sit, & dignitate, honoribus, & diuitijs affluat, nullum tamen ocium eum ab illis abstrahit, nec auocat. Epaminundas clarissimus Gręcię princeps Polymni filius inter primos habitus philosophus summus, rebus omnibus præfulgens, vir modestus, prudens, grauis, peritissimus belli, fortis manu, animo maximo, adeo veritatis amicus, vt ne iocans quidem mentiretur, qui de Republica nihil præter gloriam cœpit, fidibus præclare cecinisse dicitur, & in neruorum pulsu, & vocum modulatione versatus est. Duces etiam alij quam plurimi fidibus, & tibijs canere soliti sunt, & Pythagorici ad cantum lyræ obdormiscere, & ad nouos rursus labores excitari. Poetæ testimonio Cithara regalibus illata est conuiuijs, & ille philosophorum fons Socrates iam senex institui lyra non erubuit, & Themistocles, qui fuit Atheniensiū lōge princeps, quia huiusmodi esset artis ignarus, indoctior, & minus ciuilis iudicatus est. Gracchus sui temporis orator præcipuus musicam sibi consonantem consonare voluit, & Iopas ille Virgilianus errantē lunam, solisq. labores canit. Omnes enim artes cum vita sibi inuenerit, hæc vna mortalibus beneficio naturæ est tributa, qua non solum oblectaremur, sed ad tollerandos labores, velut numeris quibusdam vteremur, in bellicis enim motibus fuit multum auxilio; Lydi in procinctu belli Tibias habuere, lyrā Lacedemonij, Romani lituos, & cornua; Tubas vero, tam veteres, quam recentiores, ita vt constet musicos etiam sapientes iudicatos fuisse, tritoq. prouerbio receptum sit, vt qui indocti essent, à musis abesse, & gratijs dicerentur. Habet enim (quis non videt) musice cognationem cum astrorum scientia haud indubie, vtpote è cælo oriunda, quam si quis altius consideret, fatebitur tam sublimis scientiæ repertores, diuino potius, quam humano fuisse ingenio,

Vnde

Vnde si alios cosiderare velimus, & Leonis Decimi Optimi Maximi Pontificis à teneris annis vitam honestissimam, ac sanctissimos mores, mirandum quidem non erit, si hanc honestam musices virtutem, & elegantiam, etiam ad relaxandum animum tot curis implicitum adhibet, & quam honestissime quandoque chordis, & cantu permulcet. Non igitur immerito huic arti tanta ab initio veneratio accessit, alta fuit illa Pythagoræ indagatio; per quam dixit mundum harmonia compositum: altioris disciplinę Plato summus ille vir credidit, nullam sine hac armonia esse iugalem competentiam, ipsamque mundi animam numerorum concordia constare, vt in Timeo ausus est affirmare. Prætereibo, quæ de Lino, & Orpheo vatum antiquissimo dici possent vulgo nota. Sed illud silentio non prætereundum quod olim canere fuit eloqui, Linumque & Orpheum velut Dijs genitos, multa in veneratione fuisse. Dauid Rex, gloriosus propheta, & sanctissimus vates cithara delectatus est, & lyræ concentu laboranti Sauli subuenire solebat. Leo Secundus Pontifex Optimus Maximus natione Siculus vir Latine, & Græce doctissimus, eloquentia clarus, religione singularis, miræ pietatis, & clementiæ, Musices peritissimus habitus fuit, vt multa ad musicam mira vocum concordia, & ratione, quibus modis inter se discreta prima reperiantur elementa, figuræ, toni, numeri, & insuper multiplices composuerit hymnos, ad meliorem concentum redegerit, & artem huiusmodi exercitatione confirmauerit. Nec semper negocijs occupati esse esse possumus, & à libris secedendū est aliquādo, faciendęq. sunt intermissiones, & sic non dedecet animum cuiusque etiam sapientis viri honestissimi honeste musicis aliquando recreari. Veteres enim dum remoti à foro, & senatu feriarentur, ociosique essent, animum quandoque musica relaxare solebant. Plurimum namque spiritus reficit, & ad tollerantiam laboris exhilarat mentes. Pythagoricis mos erat lyram suauiter ad tolerandos labores adhibere. Homines (vt Cicero secunda Phylippica docet) quamuis in turbidis rebus sint, tamen si modo homines sunt, interdum animis relaxantur. Vnde Pontanus idem ille meus, nostri temporis decus in illo suo opere de Principe dicit, in hac cessatione musicos quandoque adhibendos, vbi inquit inter alios Alfonsum illum seniorem Aragonum Regem, virum sapientissimum, arcu se meridianis horis cum iuuenibus exercuisse, & Augustum (Suetonio teste) pila atque folliculo. Tamen sanctitas eius nil ad voluptatem, sed ad virtutem, et religionem refert. Dum igitur Decimus dominus noster Leo puer esset, sapientum Græcorum instituciones imitatus Musicam, et prima Gręcarum, et Latinarum litterarum rudimenta tam breui cupidissime imbibit, vt mox vix dum pueritiam egressus aliarum

doctri-

doctrinarum capax fuerit, adeo vt bonis eius moribus;& optima indole tantū probitatis,& generosæ virtutis,& præstantis doctrinæ,ex eo luminis effulsit,vt eius accuratissimi, & doctissimi præceptores,plurimiq. litteratissimi & sapientissimi,in eo sic puero obstupescerent,& maxime admirarentur, eo præsertim quod omnis æqualiū æmulatio sibi merito cedebat. A puero autem grādior factus, veluti diuinitus institutus,& recte ab illo paterno Laureo vberrimo virtutis, & sapientiæ fonte educatus, quātus futurus esset ad virtutem, gloriā,& dignitatē natus,egregiū eius optimæ, & pulcherrimę naturæ, bonarumq. disciplinarum specimen ostendit. Nam liberalibus studijs vtriusque linguæ disciplinis,Græcæ & Latinæ semper, & Græcorum, & Latinorum facundissimorum virorum consuetudine versatus tam ardentissime operam dedit, quod morum eius integritate, vita, doctrina, continentia, grauitate, patriæ dignitate, maiorum splendore, ac amplitudine; Innocentius Octauus Pontifex Optimus Maximus quietis & tranquillitatis idoneus auctor & Pastor saluberrimus, quo nihil innocentius fuit, nihil humanius, nihil ad boni & æqui cultum iustius, & æquius, nihil ad rem frumentariam, rerumq. aliarum omnium vbertatem, & largam in vrbe copiam, frugalius, fructuosius, & affluentius, nihil religiosius, nihil membrorum æquitate, compactione, proceritate, oris dignitate, forma; maiestate, affatu, & tandem corporis decore venerabilius,honoratius, & ad trāquillitatem, ocium, & pacem quietius; Cui vetusta, & clara Cyborum familia, siue apud Neapolitanos Tomacellorum fuit, ex qua etiam Bonifacius Nonus Maximus Pontifex, amplissimi Cardinales, Episcopi, & complures senatorij & equestris ordinis viri probatissimi prodierunt, & Innocentius dicti Decimi Sanctissimi Leonis Optimi Pontificis ex Magdalena sorore Nepos, sanctorum Cosmæ, & Damiani amplissimus Cardinalis ingenij amœnitate,litteris, humanitate, munificentia,& eximia liberalitate profectus etiam est, pie, innocenter, clementer, prudenter, & sapienter, recto quidem iusto, & æquo iudicio, ipsum Leonem amplissimorum fratrum ordini, summoq. collegio asciuit,& rubro galero decorauit; qui cum per Innocentium Pontificem ipsum ascitus in collegio tantorum illorum patrum apparuisset,solidam frugem, spemq. certam, & optimam sui fecit, vt omnes de eo optime sentirent, atque sperarent, ita vt successiue præsidium illud meum dictæ piæ memoriæ Pius Tertius, me etiam præsente de sanctissimis eius moribus, grauitate, consilio, bonitate, prudentia, modestia, atque integritate, in illa eius Cardinalatus dignitate prædicaret, et pariter splendidissimum illud Cardinalium decus atque lumen, speculum, et imago virtutum omnium,et grauitatis exemplum, huiusq. Curiæ maximum ornamentum, immortalis

Veræ laudes Innocētij Papæ VIII. qui creauit Leonē X. Cardinalem.

Clara Cyborum siue Tomacellorum familia.

Bonifacius IX. Pont. Max.

Innocētius Cybo Leonis X. nepos SS. Cosmæ & Damiani Cardinal.

talis

talis memoriæ Oliuerius Neapolitanus dignissimus Cardinalis, præsidiũ quoq; meum, & Dominus, cuius iudicium cũ esset vir sapiẽtissimus, eminenti sciẽtia præditus, atq; rerum maximarũ vsu clarissimus, longaq; rerum experientia eruditus, acre fuit, & verum, ita vt hiduo summi viri sanctæ memoriæ patres huius tunc eius futuri sanctissimi Pontificatus Vates fuisse videantur. Et vt hæc, quæ de Leone Decimo diximus tuæ amplitudini in omni eius vita semper nota, vero etiam testimonio comprobentur, affero in medium alteram dicti Angeli Politiani epistolam ad dictum Innocentium Octauum optimum Pontificem, epistolarum libro Octauo silentio non prætereũdam, cuius verba ex ea sunt hæc. In tanto vel priuato meo, vel publico totius nostræ ciuitatis gaudio facere non possum, qnin tester apud te, summe Pontifex Innocenti, subitum hoc animi gaudium, profitear lætitiam, gratia agam, priuato quoq; nomine tuæ sanctitati, quòd adulescentem nostrũm Ioãnem Laurentij filium, Florentinæ Reipublicæ delitias tuorum numero fratrum, summiq; senatus collegio adoptaueris, quod Ciuitatem Florentissimam, familiamq; nobilissimam tam insigni munere, tamq; eminenti dignitate cumulaueris. Tum gratulor etiam tibi, quod hac acerrimi iudicij constantissima fide, prope immortalem cæteris tuis egregijs virtutibus gloriam conciliaueris. Vt.n. Laurentium ipsum taceam, quem tibi in perpetuum, sancte pater, beneficio illo tanto deuinxisti. Quid ipso tandem Ioanne Cardinale nostro perfectius? aut quid omnibus numeris absolutius? non indulgebo amori meo, non tuo iudicio blandiar Ponitfex, nota cunctis, & testata loquar. Ita natus, & factus, ita altus, atque educatus, ita deniq; eruditus atq; institutus hic est, vt nemini secundus ingenio, nec æqualibus industria, nec Præceptoribus litteratura, neq; grauitate senibus concesserit. Natiua in eo probitas, & genuina, diligentia quoque parentis ita impense culta est, vt ex illius ore, non modo non verbum dictu fœdius, sed ne leuius quidem vnquã etiam licentius exciderit. Non actio, non gestus, non incessus in illo notatus. Non aliud postremo, quòd in deteriorem partem conspiceretur. Sic in viridi ætate cana maturitas, vt qui loquentem senes audiant, proauitam in eo, nos paternam certe indolem agnoscamus, cultum pietatis, & religionis pene etiam cum lacte nutricis exsuxit; etiam tum ab incunabulis sacra meditatos officia, quando non dum editum eum tamen ecclesiæ iam genitor prouidentissimus destinauerat. Protinus autem quam est in lucem susceptus, multis, magnisq; præsagijs in hanc erudiri spem cæpit, & quoniam talé dese specimen dabat, vt istius iam tum virtutis faceret fidem, compulsus fama Ludouicus ille Francorum sapientissimus, idemq; sanctissimus Rex, ne summi quidem

C Archi-

Archiepiſcopatus faſtigio indignum hunc ipſum plane adhuc puerum eſt arbitratus. Illum tu igitur habes Regem, collatæ iſtius dignitatis præluſorem. Telam Rex maximus exorſus eſt,quam Pontifex maximus pertexeret. Audires vtinam voces fauſta tibi nunc, & proſpera ominantis Florentini Populi. Aſpiceres geſtiẽtem vbiq; & concurſantem in atrijs noſtris, ac lætitiæ ſuæ impotentem ciuium multitudinem, plebemq;ipſam vix gaudium capientem animis. Non ſenes grauitas, non matronas pudor, non pueros infirmitas ab officio retardat. Confluunt in Aedes Medicas ſexus, ætaſq; omnis,omnis huc ordo, vt ad priuatas neceſsitudines properant:pro ſe quiſq; primi haurire oculis aſpectum noui Cardinalis feſtinant,exultant, vociferantur,manus ad cælum tendunt, propicium tibi Deum, proſpera, ſecundaq.omnia comprecantur pro tua, vel ſalute, vel dignitate vota prorſus, ab omnibus ſuſcipiuntur. Nec eſt quod annos, ac natales noſtri Cardinalis numeretis,virtus illi ante diem contigit, ne dubita Pontifex, implebit vtiq; auguſtam purpuram, non ſub galeri pondere anhelabit, non fulgore caligabit nimio,non indecorem eum tanto ſenatui, non imparem tanto faſtigio recipies. Iam nunc ampla maieſtas, iam ſolito maior ſpecies, conſtabit ratio collegis lati ſuffragij: nec te vnquam, ſumme Pontifex, iudicij pœnitebit. Hoc tibi nomine (quod vnum valeo) gratulor, agoq; gratias: quos aliquando pedes iſtos beatiſſim os præſens oſculabar,ijsdem nunc illi abſens lætitiæ plenus aduoluor, Deumq. præcor, vt te diu tuo perfrui beneficio gaudeamus, vt proſpera incepta, proſperrimi conſequantur euentus. Quod autem ad me attinet (quando non alia proanimo meo facultas eſt) dabo operam certe,quandiù vires ſuppetent,vt iſtiuſmodi tua benefacta, ſancte pater, in omnem poſteritatem, ſempiterna litterarum memoria propagentur; hactenus Politianus. Vides igitur,ampliſſime Iuli ex tam firmiſſimo,&prçclaro Politiani teſtimonio, quot & qnanta naturæ adminicula in hoc diuino Decimo Leone moribus ſupra hominem fuit, vt virtutes quodam modo omnes,in pueritia, & adoleſcentia etiam continuiſſe videatur. Poſt autem cum in ſenatu eius autoritas gliſceret, adeo emicuit, atq. præluxit, vt eius ſententiæ tamquam grauiſſimæ tenerentur, Et tum apud Innocentium ipſum,ſucceſſiue vero Alexandrum Sextum, Pium Tertiu,& Iulium ſecundum Pontifices maximos tanta gratia valuit, vt ab ipſo Iulio legatus de latere in Flamminiam deſignatus, ita pro illorum populorum ſalute ſua ſapientia, & conſilio,quo plurimum valet,geſſerit, vt ſublatis pro viribus eorum,& patriæ ei loco vicinæ ſimultatibus,ac inteſtinis ſeditionibus, in patriam ad Medicam domeſticam hæreditariam amplitudinem redierit,ipſamq; patriam ſuis meritis placatam, reipu-

blicæ

blicæ Florentinæ sanè fidelem, & constantem, multo fideliorem, ac constantiorem reddiderit. Iulio autem Secūdo Pontifice maximo vita functo, Romam magna cum fælicitate rediens, post legationem huiusmodi, quam egregie obijt, cum fuisset longo tempore Cardinalis, & nemo tot Amplissimorum Patrum ante eum ad Cardinalatus dignitatem promotus, vno excepto eius exigentibus meritis, multisq; vitę ornamentis, Cardinales omnes cælestium natura, nutu, atq. diuina prouidentia suis suffragijs ipsum ad Pontificalem dignitatem, nulla eius ambitione, sed sincera omnium pura, & incontaminata electione extulerunt, & summum Pontificem, & quidem merito (quia tantis eius virtutibus hoc diuinum præmium repositum erat) elegerunt, nec aliter eligi poterat, quia eius incorrupta sanctitas, numquam in quibuscunq; eius suffragijs dum Cardinalatus honore splenderet, corrumpi potuit. Quo nemo gratior, nemo commodior, cuius electione nulla gens in terris est, nullus populus, nulla ciuitas, quę eius diuino honore lætata non fuerit. Tanta eius est bonitas, tanta in omnes iustitia, tanta æquitas in hoc diuino, deo simili, non superbia aliqua valet, si eius consideremus potentiam, quæ nunquam tanta fuit in Pontifice aliquo, à Diuo Petro maxime huc vsque, auaritia caret, quarum altera humanitati, altera abstinentiæ inimica est, quia neque superbia, neq. auaritia laborat, sed summa humanitate, summa liberalitate. Quo ex bello pax orta est, & hostis sine sanguine victus, & hospes effectus est, qui prius hostis erat. Eo concordia etiam inter mortales coaluit; Iura, leges, mores, gentium instituta vigent, inoffensa omnia manent, Crimina vindicat, bonis præmia decernit, & adeo in suos Romanos peculiares filios se liberalem præbuit; vt non minus, quam si Romæ natus fuerit omnibus ęque charus sit. O optimum patrem. O vnicum publicæ salutis remedium. O Pontificem sanctissimum, quem totus Romanus Populus eruditissimorum cætus, & omnes gentes laudibus extollunt, ac vt decuit, debito ei prolato honore, splendidissimo letitiæ, & iubilationis, eximio, & maximo apparatu, Arcus triumphales, & illa pompa, lætitia, & hilaritas publica indicarunt.

Iure igitur cerno plausus; pubemq; latinam,
Vndiq; oliuifera tempora fronde tegi.
Sacra canunt pueri, & pariter domus alta Quirini
Vota facit, sanctis dat pia thura focis.
Vos, o, Romulidæ tantis gaudete triumphis,
Romaq; pro tanto Principe vota feras.

Romanum etiam Gymnasium hic Decimus sanctissimus Leo viris litteratissimis, vt preclara indole adolescentes bonis artibus, atq; dis-

ciplinis, singulari eruditione erudiantur, decorauit. Et ne Græcarum litterarum, quibus quam optime eius sanctitas ornatur, oblita videretur, cura Ioannis Lascaris, viri Illustris & doctissimi, Medicæ familiæ studiodisissimi, Græcos pueros, adolescentesq; ex Græcia bona indole præditos, adhibitis vtriusq; linguæ præceptoribus, euocauit, vt non immerito passim litteratorum præsidium prædicetur. Præclarum quoq; opus Basilicæ Diui Petri Apostoli à Iulio Secundo iustitiæ & æquitatis cultore, magnę bonitatis, integritatis, summæ fidei, excelsi ac præstantissimi animi, constantiæ acris, & grauis consilij, sagacis, & singularis prudentiæ, ac summæ & eximiæ auctoritatis Pontifice optimo maximo, qui pro Christianæ religionis gloria, incremento, & conseruatione feruentissimo semper ardore laborauit & omnia ad amplitudinem, & Romani Pontificatus dignitatem retulit: quiq; Romæ & alibi præclara, splendida, & superba ædificia incredibili impensa magnificentissime struxit, cæptum magna impensa fælicissime continuandum magno animo suscepit. Augustum Palatium Pontificium in meliorem, potioremq; formam ampliare & indies ornare non desinit. In Cælio monte Aedem Diuæ virgini Deiparæ dicatam, quam in Dominica appellant vetustate collapsam, cuius titulum in splendore Cardinalatus habebat, ob maximam deuotionem, cum porticu, siue vestibulo Tiburtinis adhibitis lapidibus, dum Cardinalatus luce fulgeret, refecit, & laquearibus, alijsq; ornamentis exornauit. Baptisteriū Diuo Ioānibaptistæ præcursori sacrum, in modum rotunditatis in eodem monte apud Lateranensem Ecclesiam, quod in fonte vulgo nominant, ob proprium antè Pontificatum nomē, & in ipsum Præcursorem, quem Florentina ciuitas Aduocatum veneratur, & colit, singularem deuotionem, Pontifex pientissime reparauit & illi tegminis nouam formam induxit, quod ex plumbeis tegulis, aut laminis non medioeri impensa opertum cum pulcherrimis, & ornatis laquearibus visitur. Nitet magnifica Domus tua sacris & prophanis antiquis magnificētissimis Mediceis ædificijs: splendet etiam his recentibus Leonianis. Magnanimus enim vir ille immortalis memoriæ Medices Cosmus magnificas Aedes celeberrimo vrbis loco luculentissime à fundamentis erexit. Petrus autem filius, & Laurentius ex eodem Petro natus produxerunt, ampliarunt, exornaruntq;, vt ob eximiam operis elegantiam tam magnificentissimum præ altitudine, celsum, splendidum ex nobili materia; honorificum opus præcipua admiratione dignissimum omnibus videatus. Vetusta ædificia Diui Laurentij suæ parrochię Templi euerti fecit, & propria pecunia ab imis fundamentis, longe elegantius, & magnificentius admirabili quadam operosa, sumptù incredibili, structura in-

ſtaurari iuſſit, atq; ampliari, cum celeberrima Canonicorum commoda & ornata habitatione. Quod morte præuentus imperfectum Petrus filius Coſmi, & deinde Laurentius dicti Petri filius continuarunt, pulcherrimis & elegantiſſimis ędificijs, aureis laquearibus, & alijs ampliſſimis ornamentis munierunt, egregijsque veſtibus, ac alijs opulentiſſimis ad cultum diuinum donis maxima magnificentia adornaruut. In quo quidem Auguſtiſſimo templo ipſorum magnorum Ioānis, Coſmi & Laurentij Coſmi fratris, Petri, & Ioannis filiorum Coſmi, aliorumq; Medicæ familiæ ornatiſsima miri artificij fulgent monumenta, & illud Coſmi, Coſmus Medices Patriæ pater ſignatum conſpicitur. Ad Pomeria Florentinæ ciuitatis Diui Marci ſolemnem ac celeberrimum conuentum egregio atque eximio ſumptu, cum ingenti Bibliotheca optimis, pulcherrimisq; libris, ex Græcia, alijſque mundi partibus in omni ſcientiarum genere, & diſciplina aduectis abunde referta, Coſmus extruxit, inquo ſanctiſſimæ obſeruationis Diui Dominici ordinis prædicatorum fratres frequenti numero religioſiſſime diuinis operantur officijs. Apud Conuentum ſanctæ Crucis, inquo frequens numerus minorum fratrum ſacri Ordinis Diui Franciſci moratur, inſignis loci, quem nouitiatū nominant, vbi ea religione initiandi ad illam inſtruuntur, & prima ipſius religionis percipiunt rudimēta, Coſmus auctor fuit. Feſulis quoq; Cænobium S. Bartholomei regularium Canonicorum D. Auguſtini reſtituit, & ampliſſimis decorauit ornamentis, in quo etiam ſuperbam, & copioſam librariam abunde libris latinis vndiq; conquiſitis compleuit, & Petrus filius deinde plurimum exornauit. In Camaldulenſi Heremo Coſmus elegantiſſimam cellam ſtruxit. Suburbanam villam Caregiam ædificauit, cui viginti adiecit prædia. In agro Mugellano Caphaſeolum iuxta Seuem fluuium regio ſumptu ſtruxit. Inſtaurauit etiam Trebium in edito Monte ſupra Caphaſeolum poſitum. Ioānes Coſmi filius ſuperbam villam in monte Feſulano ſub monaſterio S. Hieronimi magno ſumptu ædificari fecit. Laurentius Petri filius, Leonis X. Pater Patriæ decus, & Parens libertatis defenſor acerrimus, & conſeruator, ciuitatiſq. illuſtrator, & exornator eximius, ac ciuilibus diſciplinis felix moderator S. Galli conuentum extra eius nominis portam elegantiſſimum, præcipua D. Auguſtini Heremitarum fratrum optima religione preditum, cultu Diuino cellebertimum, deuotione maxima extruxit. Villam iuxta Piſas Agnanam magnificentiſſimam fecit. In agro quoq; Volaterrano villam Hoſpitalitiam pulcherrimam. In planicie agri Florentini ſplendidam, & magnificam villam, cuius nomen Podium Caianum dicitur ad inſtar Cæſareæ villę in agro Aricino, ſiue Nemorenſi, in Latio omnium memoratiſſimam, ſumptuoſitate

magna

magna a fundamentis extrui curauit; Nec non villam Montis Paldi ex coli, atq; muniri:per quam multas etiam villas auitas & paternas,operaq; alia publica, & priuata conſpicua, & non parua, ſacra, & prophana noua, & vetuſtate collapſa, deflagrata, & incendio Florentiæ abſumpta, proprijs pecunijs mira magnificentia Ioannes Coſmi, & Laurentij Pater, Coſmus, & Laurentius filij:Petrus,& Ioannes Coſmi filij, Laurentius, & Iulianus Petri filij, ac alij huius præclaræ familiæ refecerunt, ex truxerunt, & impenſiſſime exornarunt, eiſq; diuerſa dona, & quidem ingentia ad Diuinum cultum, Eccleſiaſticarumq: perſonarum victum contulere. Apud ſepulcrum Dominicum (vt fertur) Venetijs, alijsq; in locis pulchra,præclara,& magnifica opera conſtruxerũt,& ſumptuoſiſſime reſtaurarũt. In promptu in illis ſunt gentilitia, nobiliſsima eminentia Medicea inſignia, cælo ſcalpta,& depicta, quæ manifeſte hæc comprobant. Quid plura? Florentiam excoluere, & denique exornatam reliquere. Ingens fuit horum nobilitatis amplitudo, ſuperbæ, & quidem maximæ diuitiæ, maxima fulgentium & rutilantiũ gemmarum, & quidem grandiorum, margaritarum, præcioſorum vaſorum, præcioſarumq; aliarum rerum vis, maximus theſaurus,maximaq; præcioſa & ornata ſuppellex, maxima opum affluentia, maximæ clientelæ,maximi honores,maxima domi,foriſq;,auctoritas,gloria atq; fælicitas. Quis poſſet tot, & tam pulcra, alta, & decora horum cumulatim recenſere? Ciceronis,aut Demoſthenis facundia opus foret. Ipſorum fama ſuperſtes ſemper erit,& ineſtincta eorum nomina poſteritati merito ſummis laudibus conſecranda per longiſſimum viuent æuum. Adde ad huius Medicea familiæ ornamentum, quod poſt tanti Pontificatus Leonis Decimi optimi,maximiq.Pontificis magnitudinẽ, vltra antiquas, nobiles propinquitatis neceſſitudines has clariſſimas nobiliſſimaſq; familias perpetuo affinitatis, & beniuolentiæ vinculo ſibi coniunxit, Sabaudiæ videlicet Caroli Illuſtriſſimi, & excellentiſſimi Ducis, qui Philibertam ex vtroq; paremte ſororem, modeſtia, humanitate, ſingulari conſtantia,egregijs moribus, & ſapientia præſtantiſſimam,clariſſimarum,optimarumq; fœminarum virtutum omnium ſplẽdidiſſimum exemplum, Iuliano Medici, viro magnifico, & excellenti, ingenij, humanitatis, modeſtiæ,atq; eximiæ probitatis ſplendori conſpicuo dicti Leonis Decimi ex vtroq; parente fratri clariſſimo matrimonio collocauit. Hanc autem Sabaudiæ familiam perantiquam ſane, ac nobilem fuiſse conſtat,atq; Illuſtrem,multiſq; rebus domi, militiæque geſtis præclaram.Traxit enim ea illuſtris familia originem à Saxonibus. Inter alios inſignem habuit pietate virum Ludouicum Sabaudiæ Comitem, rerum bellicarum peritiſſimum, qui aduerſus peſtiferos
im-

impios, & ſceleratos Turcos Chriſti Dei Saluatoris noſtri hoſtes ad Chriſtianæ religionis dignitatem & augumentum magno conatu, viribus, & excelſo, ac inuicto animo propria etiam pecunia, iuſtis triumphis glorioſiſſime triumphauit. Quamobrem hæc tam fœlix, & glorioriſſima Sabaudienſis familia, non immerito albæ Crucis ſignum fert & propter complura alia ardua negotia, quibus pietate, & ſumma religione alij eius optimæ familiæ inſignes principes pro Chriſti fide ſem per incubuere, fuit etiam, & vrbis Romæ Sabaudieuſis Ludouicus Senator, vt Cynus Piſtorienſis eius tunc aſſeſſor, Bartholi iuris omnium eius ætate conſultiſſimi magiſter teſtis eſt. Nec mirum ſi tam excellẽs Princeps Sabaudienſis Ludouicus vrbis Romæ Senator fuit, quia non ſolum Regali ſanguine ortos, & clariſſimo genere natos, verum, & ipſos Reges Romæ Senatoria dignitate functos fuiſſe non ambigitur. Amodeus Sabaudienſis Dux primus à Sigiſmundo Cæſare eo Ducali titulo honeſtatus, qui ex nobiliſſima & Illuſtriſſima vxore, complures habuit filios forma, & moribus peregregios, filias vero excellentiſſimas, & quam pudiciſſimas, omnibus virtutibus ornatas, poſtquã cum Rege Franciæ Chriſtianiſſimo, atq; potentiſſimo Rege Cypri, alijſq; Illuſtriſſimis Princiqibus, varias affinitatis, & coniunctionis neceſſitudines honorátiſſimas iunxit, imperiumque paternum quam maxime auxit, vitæ ſanctitate Principatus gloria relicta, dum ſe (mortua vxore) cum ſex viris equeſtris ordinis in Hæremum ad Ripaliæ locum recepiſſet, & vitam ageret ibidem cælibem, ob eius vitæ ſanctitatem, & bene viuendi ſpeculum, à Baſilienſi Concilio Pontifex inuitus electus, & Felix Papa appellatus, nouem annis Pontificatum gerens nonnullis Cardinalibus doctrina, & auctoritate præſtantibus per eum aſſumptis, vt Sciſma, quod Eugenij Quarti Maximi Pontificis tempore fuit, penitus extingueretur, & ſeditiones in Eccleſia Dei tollerentur, tantæ fuit humanitatis, humilitatis, bonitatis & pacis amator, quod creato Nicolao V. eius ſucceſſore viro ſingularis doctrinæ, & probatiſſimæ vitæ, ſponte ſe Pontificatu abdicauit. Quamobrem Nicolaus non ſolum ei Cardinalatus dignitatẽ dimiſit, verum eriam ipſum Legatum Germaniæ fecit, cum ampliſſima poteſtate, ac ſi Pontifex fuiſſet, vt omnino cum dignitate viueret. Quis curioſius repetere audeat numeroſam ſeriem, & continuatam huius generoſæ & præclariſſimæ familiæ ſucceſſionem, multis varijſq; proceribus, & ornamentis illuſtratam? illorumq; ingentes virtutes & laudes, ac domi, foriſq; pulcra, & decora bello, armorum virtute, & ſtrenuitate, ac pace laudabilia geſta contemplari, & complecti; Dictiq; Caroli Illuſtriſſimi, atque excellentiſſimi Ducis Sabaudiæ ingenium, egregias nulli occultas naturæ dotes,

quæ

quæ ex eo quam maxime resurgunt singillatim persequi, dictæq; nobilissimæ familiæ Sabaudiensis nobilissimum in toto orbe terrarum genus enarrare, Gymnasiumque bonarum litterarum in Ciuitate Taurinensi fæliciter institutum, aliaq; præclarissima opera, sacra, & prophana noua, & refecta, tum in ipsa Taurinensi Ciuitate, quæ totius Pedemõtanæ regionis Caput est, Augusta Ciuitate in extrema Italiæ parte, Hyporegia, alijsque ciuitatibus, quas (vt fertur) vltra octingentos annos summa cum laude virtute, & splendore rexere, describere? Nonne Franciscus primus Christianissimus Francorum Rex, inuictissimus, & gloriosissimus, cuius & maiorum virtutibus semper Christiana Respublica defensa est, & amaximis periculis ab infidelibus etiam cum maximo Christiani nominis incremento liberata, huius Philibertæ splendidissimæ fœminæ nepos est? Aliam vero Io. Mariæ Camerini Ducis ex antiquissimo Varanensium genere celeberrimam atque omnium testimonio splendidissimam, qui dicti Leonis X. ex dicta Magdalena sorore, honestatis, & probitatis speculo Francisci dicta clara Cyborum familia orti, viri modestia, & mirifica humanitate præditi vxore Catherinam neptem, futuram vxorem despondit. Maiores enim huius Varanee familiæ, qui Camerinum supra ducentos annos tenuere decore, opibus, rei militaris Disciplina, potentia, & viribus semper Romanæ Ecclesiæ obtemperantes, tum domi, tum foris supra modum claruere, & qui ab illis defluxere, non solum militum studijs, verum litteris dedere operam, vt varia militari gloria honorata, & opulenta stipendia fecerint. Gentilis Varaneus armorum virtute & strenuitate maxima præcelluit. Antiquior Rodulphus præclaro, & illustri maiorum exemplo Florentinorum exercitui, alijsq; etiam summa cum laude, & gloria Imperauit. Iulius Varaneus dicti Ioannis Mariæ puternus auus non ne à Venetis euocatus belli Imperator designatus fuit? Præterimus (ne longius spaciemur) alterius Gentilis, Pandulphi, Berardi, Piergentilis Venãtij, & Ioãnis Rodulphi filiorũ veras laudes. Pręterimus & alios illustres, & claros viros huius familię bello & pace pręcellẽtes. Sed dictus Io. Maria, magni vir animi, non solũ litteris, verũ, & aliis virtutibus intẽtus auitas & paternas, aliorũq; maiorum bellicas virtutes, & bonarũ studia litterarũ sectatus, Gentilem, Rodulphũ, Iulium, ac alios etiã ducali titulo superauit. Camerinum ciuitas vetustissima populi frequentia, & opibus, si recentioribus credimus, in Picentibus, si vetustioribus in Vmbria primaria floruit, vt floret viris non modo diligentibus, sed solertibus negotijs, & ciuilibus artibus, & mercaturæ studio maxime intentis, vrbanitate, comitateq; maxima præditis, nam Liuius libro nono scribit Fabij Maximi fratrem à Camertibus multa comitate exceptum

ptum

ptum. Et octauo Volumine Secundi belli Punici, Camertes Publio Scipioni dedisse armandæ classi, quam duxit in Affricam, cohortem vnam sexcentorum militum. Valerius etiam Maximus Caium Marium Camertinorum strenua opera duarum cohortum virtute vim Cimbrorum non solum sustinuisse, verum etiam postrauisse, & ingentem ex illis victoriam reportasse, propter quod Marius in ipsa acie aduersus fœderis conditionem, quoderat ne Camertes possent ciuitate Romana donari, ciuitate donauit. Quod Plutarchi testimonio ex Marij vita facile comprobatur. Qua propter & ob dicti Ioannis Mariæ generis claritudinem, multasq; pulcherrimas, & præclaras eius corporis & animi dotes, ac egregias sibi à natura tributas virtutes, Leo X. Sanctissimus merito ipsum Ioannem Mariam eo Ducali titulo honestauit, & Saxoferratum, Ciuitatem nouam, Sanctum Genesium, & Vissum pulcherrima oppida ei subiecit, Cerretumq; restituit. Coniunxit etiam sibi hæc familia Medica Appianensem clarissimam familiam, ex qua Iacobus quintus nobillissimus, moribus peregregius, Plumbini Princeps excellentis ingenij, summeq; virtutis Claricem alteram dicti Leonis neptem ex Contesina sorore pudicissima fœmiua, Nobilis Petri Rodulphi magnæ in Republcia Florentina autoritatis clari præstantissimi, ac ornatissimi viri vxore, faustis sponsalibus sibi coniunxit: Varanea enim illustris familia, & clara Appianẽsis Domus nunc duplici affinitatis, & beneuolentiæ vinculo coniunguntur: nam ex hoc illustri Appianensi genere, vt veteres prætercam, Iacobus Appianensis primus moderatus Princeps, maxima æquitate præditus, & gubernandi modo peritissimus, vir equidem etiam prudentissimus vniuersorum Plumbinensium concordia, graui, maximoq; consensu, vna omnium voce; atque acclamatione dignus Plumbini principatu iudicatus, postquam Plumbinum multos annos maxima cum laude rexit, Ioannem genuit, quem Vannem nuncupabant, & Gerardum, qui in principatu successit, ex altera autem Senensi vxore antiqua & clara progenie Emanuelẽ, Gerardus ex vxore Paula pudicitiæ, & honestatis exemplo, fœmina omnibus virtutibus ornatissima, antiquissimo, & excellentissimo Columnensiũ genere orta, Martini Quinti Pontificis optimi Maximi, cuius doctrinę, virtutis, sapiẽtiæ & bonitatis gloriam, & immensas laudes lingua mortalis explicare non posset, sorore genuit Iacobum secundum, Violantem, quæ nupsit Camarinensi Principi, Catherinam verò, quam Rainaldus Vrsinus magni vir animi, vxorem duxit. Emanuel Iacobi primi filius Iacobum genuit tertium, & is tertius quartum habuit Iacobum filium. Fuit etiam huius Appianensis familiæ affinitatis & beneuolentiæ vinculum cum nobilissima Fliscorum domo, ex cuius beatissimo fonte

manarunt Christianę religionis decus & iuris vtriusq; lumen fulgentissimum Innocentius Quartus, ex quo tot extant & diuini, & humani iuris volumina : nec non Hadrianus Quintus, optimi, maximiq; Pontifices : Iacobus Fliscus Siciliæ Rex : Cardinales vero septuaginta duo, Episcopi innumerabiles,& alij insignes viri Lauaniæ comites, tanquam ex equo Troiano prodiere litteris ,& omnibus vitæ ornamentis ornati qui & apud imperatores, Reges, & alios Principes plurimum auctoritate valuerunt. Manauit & superstes est Nicolaus Fliscus amplissimus pater Sanctæ Priscæ Cardinalis, qui probatis , atq; egregijs moribus, religione, continentia,prudentia, doctrina; liberalitate,& deniq; optimis suis, & maiorum præclarissimis virtutum exemplis se vere ex tam felici fonte fluxisse declarans inter amplissimos Cardinales mirifice claruit,claretque. Habet quoq. hæc ampla Appianensis familia affinitatis ,& beneuolentiæ coniunctionem cum clara Piccolomineorum familia, ex qua duo defluxerunt etiam optimi,maximiq; Pontifices Pius videlicet secundus , & Pius tertius virture, ingenio, probitate, sapientia,latinis litteris,ac optimis quibusque disciplinis,rerum omnium cognitione , æquitate ,animi magnitudine, moderatione , & sanctissimis moribus , duo etiam in Ecclesia Dei splendidissima lumina , eo quòd dictus Iacobus Quartus Victoriam Antonij Piccolominei Amalphitani Ducis illustris Principis sapientissimi filiam vxorem duxit , ex qua hic Iacobus quintus nobilissimus & excellentissimus Princeps natus est Claro etiam & excellenti Vespasiano Prosperi Columnæ generis splẽdore , rei bellicæ scientia , prudentia , acri consilio , animi magnitudine,atque omni laude domi militiæq; clarissimi, & excellentissimi Principis filio , affinitatis & beneuolentiæ vinculo hæc Appianensis familia iungitur, quia idem Vespasianus dicti Iacobi Quinti sororem Beatricẽ conspicuam fœminam decenti venustate , modestia, pudicissimis moribus,& egregia virtute præditam vxorem duxit . Est Plũbinũm in extrema Etruria loci natura , Tyrrenoq, mari proximum,non solum muris , & fossis munitum, sed castellis optimis circa se tutissimum, Buriano videlicet,Scarlino,& Subereto,alijsq; locis:habet & Iluam insulam ferri fodinæ feracẽ,ac celebrem.Hic Iacobus Quintus nobilis Princeps adeo omnia sapienter gubernat,& regit sua prudentia, consilio,summa cum laude , vt Iacobum primum,cæterosq; æquare possit,& tanti principatus gloriam præclaro , & illustri maiorum exemplo facile valeat augere, fauente præsertim Leone X.optimo,maximoq; Pontifice.Coniunxit quoq; sibi dicta splendidissima Medica domus Pallauicinorum antiquissimam,& nobilissimam familiam, ex qua Antoniottus Gentilis sanctæ Praxedis Cardinalis vir honestissimus , latina lingua disertissimus

mus

mus, & ſacris & Pontificijs litteris, maximaq; rerum experientia eruditus, & tot Epiſcopi;Obertus Pallauicinus peritiſſimus belli Dux,Orlandus bello etiam egregius, atq; ſtrenuus, alijq; clariſsimi viri, inquibus bello, & pace rei militaris diſciplina ſemper emicuit, prodierunt. Nam Pallauicino Pallauicini Antonij Mariæ magnanimi viri, magni conſilij, prudentiæ, & auctoritatis,cui tot, & tanta pulchra, & magna ſubijciuntur oppida, filio & Pallauicinæ domus decori,virtute,& genere præſtantiſſimo.Helena alia dicti ſanctiſſimi Leonis neptis ex Lucretia ſorore honeſtiſſima, muliebribus virtutibus omnibus clara,Iacobi Saluiati, viri optimi antiqua, & nobili familia ingenti virtute, & prudentia maxima præditi vxore feliciter deſponſa eſt. Tranſimus alias affinitates, & Mediceas neceſſitudines, quia, ne prolixiores videamur, finis iam ſpectandus eſt.Sed auguror Laurentio Medici Petri magnifici atq; excellentiſſimi viri filio magni animi viro Alphonſina matre Romani ſanguinis clariſsimo quoq; Vrſinorum genere orta honeſtatis alumna, conſpicua, & decora fœmina, varijs virtutibus ornata, dicti Leonis Decimi nepoti ad bellicam virtutem maxime intento, atque accenſo, cui magna ineſſe videtur rei militaris virtus, & quem iam milites velut Ducem armorum fulgore fulgentem proſequuntur, quique Ioannem Medicem Primum, & alios maiores animi magnitudine refert, & compluribus virtutibus imitari videtur, fortunis maximis, & felicitate florenti, prudentia, iuſtitia, viribus, munificentia, & liberalitate inſigni in proximum coniugium præclariſſimum,quo magis hæc Medicea familia illuſtrabitur, quod bonum, lætum, fortunatumq; ſit ſibi, domuiq; Mediceæ, & Deus, qui bonorum omnium auctor eſt, ipſi Laurentio nuptias optimis ſecundet auſpicijs, vt videat natos, & pignora chara nepotum. Et quod huic Romano populo gratiſſimum fuit te Patrem ampliſſimum, quem ſanctiſſimus Leo ad omnia ſecreta admittit,merito huius noſtrę patrię protectorem,& aduocatum dedit, atq. adminiſtratorem rerum maximarum deputauit. Nouit enim non ad ocium te, ſed ad virtutem, & negotium natum, quantum præſtes ingenio, conſilio, toga illa tua Cardinea, temperantia, candore, morum grauitate, cultu tuorum maiorum,ſplendore,maieſtate, quantum ue circumſpectus ſis, & in rebus omnibus agẽdis ſupra quam dici poſſit diligens, integer, & accommodatus, honeſtatis amicus, turpitudinis hoſtis,cæteriſq: animi virtutibus præditus, & ad omnium gentium promerendam gratiam etiam naturę benefitio comparatus,vt tam ſapienter, qum feliciter ampliſsimn hoc tuo Cardinalatus honore ornatus, omnia eius autoritate gubernes, ita vt omnium dete expectatione atq; integritate, & ſummo illo tuo diuino iudicio huic almæ Vrbi de-

eſſe

esse non possis maxime circa ministrandam iniustitiam, quæ fundamẽtum commendationis, & perpetuæ famæ ipsius domini nostri sanctissimi erit, quia sine iustitia nihil laudabile esse potest, & ita in humana societate necessaria est, sicut in animante anima: nam ad conciliandos, confirmandos & conseruandos animos subiectorum plurimum valet, inquo enim fuerit, omnes eius imperium æquo animo patiuutur, & illius moderationi quisq, etiam sua sponte subijcitur, & vt se subijciat necesse est. Accipe igitur amplissime pater hæc opera tuo fausto, propitioq; auspicio imprimenda, & me ipsum in primis suscipias, quem tuæ amplitudini, & toti inclytæ familiæ Mediceæ perpetuo dedico. Habeo nunc etiam in manibus opus de re militari; item & opus de Reuerendissimorum Cardinalicum pileo: opus de maleficijs compẽdiosum, & satis vtile per me compositum: aliaq; aliorum opera præclarissima & incognita etiam imprimenda, si mihi illa tua benigna aura affutura fuerit. Et cum dicti sanctissimi Leonis Decimi Pontificis optimi maximi Domini nostri salus nostra sit, cuius etiam cordi proprium est subditorum commoda tam omni tempore inuestigare, quam vt optimi medici mederi & nostris calamitatibus prouidere, & eius commodis, & vtilitatibus ante ponere, pro vt etiam sanctitas eius erga hunc eius Romanum populum fecit. Ideo Christum Deum optimum maximum, cuius ipse Leo verus Vicarius est, rogamus, vt ipsum Leonem dominum nostrum Pontificem optimum maximum in hoc sæculo seruet diutissime, sospitet, atq; feliciter vna cum Reuerendissima amplitudine tua, & alijs Medicæ familiæ gentilibus. Vale.